



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex  
Tomorvm Editionem ...

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1586**

**VD16 ZV 1269**

De SS. martyribus Octauio, Aduenticio, & Solutore.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)



DE S. OCTAVIO ET SOCIIS EIVS MARTYRIB. 231  
 VITA SANCTORVM MARTYRV M OCTAVII,  
 ADVENTICII, ET SOLV TORIS TAVRICORVM, PER D.  
 Ambrosium Episcopum scripta. Est sermo 77. in ordine Sermonum eius,  
 quamvis etiam similis inter Homelias D. Maximi Tau-  
 rinen[s]is Episcopi inueniatur.



**M** omnium sanctorum martyrum fratres deuotissime natalem celebrare debemus, tum praecipue eorum solennitas tota nobis ueneratione curanda est, qui in nostris domesticis proprium sanguinem profuderunt. Nam licet uerfi sancti ubique sint & omnibus profint, specialiter illi tamen pro nobis interueniunt, qui & supplicia pertulere pro nobis. Martyr enim cum patitur, non sibi tantum patitur, sed & ciuibus. Sibi enim patitur ad praemium, ciuibus ad exemplum. Sibi patitur ad requiem, ciuibus ad salutem. Exemplo enim eorum didicimus Christo credere didicimus contumelijs vitam aeternam quarere, mortem didicimus non timere. Videte ergo quid martyribus debeamus, in quo alter tortus est, ut alius saluaretur: Alter carnificem pertulit, ut Christum alter agnosceret: Alter morti additus est, ut alius vita potiretur aeterna, & postremum sanctus occisus est ut peccator euaderet.

Beati igitur martyres nec sibi vixerunt, nec sibi sunt mortui. Exemplum enim nobis reliquerunt bene viuendo conuersationis, tolerando fortiter passionis. Nam ideo Dominus per totum mundum diuersis in locis pati martyres uoluit, ut tantum idonei testes nos praesenti quodam fidei exemplo suae confessionis vrgerent, ut humana fragilitas, quae praedicationis Dominicae auditu logiore vix credit, vel praesenti oculorum testimonio martyrio crederet beatorum.

Cuncti igitur martyres deuotissime percolendi sunt, sed specialiter ij venerandi sunt a nobis, quorum reliquias possidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant, isti etiam adiuuant passione. Cum his autem nobis familiaritas est, semper enim nobiscum sunt, nobiscum morantur, hoc est, & in corpore nos viuentes custodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: Hic ne peccatorum labes nos absumat, ibi ne inferni horror inuadat. Nam ideo hoc a maioribus prouisum est, ut sanctorum ossibus nostra corpora sociemus, ut dum illos tartarus metuit, nos poena non tangat: dum illis Christus illuminat, a nobis tenebrarum caligo diffugiat.

Cum sanctis ergo martyribus quiescentes euadimus inferi tenebras, eorum proprijs meritis, attamen consocij sanctitate. Ait enim Dominus Petro: Tu es Petrus, & super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, & portae inferi non praualebunt ei. Si ergo Apostolo & martyri Petro inferni porta non praualet, quisquis sociatur martyri, tartaro non tenetur. Martyres enim inferni porta non possidet, quoniam eos paradisi regna suscipiunt. Nam videmus eos utique iam regnare. Cernimus enim ab ijs frequenter obfesos immundissimis demonibus homines liberari, ita ut caelesti medicina & captiua anima de diaboli laqueis eruatur, & ipse diabolus vinculis igneis alligatus producat de sua captiuitate captiuus, ut qui quaedam paulo ante ceperat, ipse subdatur in praedam.

Hac & alia potiora mirabilia per sanctos fieri omnibus notum est. Et ideo fratres uenemur eos in seculo, quos defensores habere possumus in futuro. Et sicut eis ossibus parentum nostrorum iungimur: ita & eis fidei imitatione iungamur. In nullo enim ab ipsis separari poterimus, si sociemur illis tam religione quam corpore.

VITA

20. Noue.

Martyr cum patitur, non sibi tantum patitur, sed & ciuibus.

sancti martyres deuotissime colendi.

Matth. 16.

Martyrum merita, quae sunt ponderis apud Deum.